



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 142. Quæ Beneficia, ex cujus consensu, & quomodo resignari possint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

Cajo non datur locus pœnitentiæ; Vide *Luca* de benef. d. 38.; Si autem admissa sit per Papam resignatio & acceptata à Titio, qui tamen necdum iustificatis litteris in forma, *dignum*, moriatur, *Lott.* dicit Cajum non posse pœnitere aut redire ad beneficium, quia jam amiserat illius jus, secundum *Cap. Ex transmissa*, de Renunc.; & idem dicit, si Titius non reperiretur dignus, sed vide dicta n. 957. & *Leur.* q. 276. & 277.

973 §. V. Secundum *Gemin. Bursatt. Paris. Leur.* q. 271. potest ille pœnitere & ante collationem alteri factam repetere beneficium, qui inconsultò resignavit; item qui ex ira vel indignatione, *Dec. Boer. Paris.*; Id tamen difficulter admittetur, nisi statim improvidam resignationem revocet. Quòd si resignatio facta sit vi, metu vel dolo, maximè revocari potest, aut certè ab initio nulla est, arg. *Cap. Super hoc*, & *Cap. In presentia*, de Renunc. *Paris. Coras. Leur.* q. 272.

974 §. VI. Si resignatio habuerit effectum, non potest rediri ad beneficium sine nova provisione, quia fuit extinctus prior titulus, unde si ille, qui resignavit, beneficium recipiat, perdit prærogativam antiquitatis, *Paris.* Si autem resignatio non habuerit effectum ob non impletas condiciones, *Rota. Paris. Imol.* aliique cum *Leur.* q. 275. putant non esse opus novâ provisione, quamvis contradicant *Mascard. Selv.* & alii; Ratio est, quia quando resignatio non habuit effectum, jus non est amissum, secundum dicta à n. 956. Requiritur tamen declarationem Superioris *Vbert. Felin. Paris.*, quia quando possessio occupata est ab alio, non potest quis in illam propriâ auctoritate involare.

975 Q. 142. *Qua beneficia, ex cuius consensu & quomodo resignari possint. R.*

§. I. Omnia beneficia, cujuscumque sint generis & qualitatis, nisi specialiter jure prohibeatur, resignari possunt: Hinc resignari potest Papatus, quod enim resignatio debeat fieri in manus Superioris & secundum alterius judicium, tenet tantum in illis, qui Superiorem habent, non autem in Supremo Principe, *Leur.* p. 3. q. 280. Item Patriarchatus, sed non in favorem; Episcopatus resignari potest pure & conditionate, *Leur.* q. 281. 282. Item resignari possunt Abbacia, Prioratus, officia Ecclesiastica, beneficia Parochialia, sed ordinariè tantum post tres vel quatuor annos: Item Vicariæ perpetuæ, portiones, etiam dimidiæ, Oratorium, Eremitorium, præstimoniam data in titulum, beneficia patrimonialia conferenda designatis per foundationem, manualia, etiam in favorem, sed cum expressione manualitatis; Vide *Leur.* q. 283. & seqq. De resignatione dignitatis extra Ordinem collatæ Religioso, Item officii Abbatissæ, Vide *Leur.* q. 329. 330.

§. II. Beneficia, quæ optari solent, possunt resignari apud Papam, si enim resignationem admittat, reservantur, & tunc in provisione dicit, *non obstantibus statutis & consuetudinibus, Paris. Tond. Lott.* *Leur.* q. 292. Electiva etiam resignari possunt, sed si fiat in favorem, requiritur consensus eligentium, qui saltem subsequatur, nam consensus superveniens animat actum; Et hic consensus sufficienter colligitur esse, si procedant ad electionem novi, *Paris.* l. 7. q. 23. à n. 32. Si consensum negent, resignatio videtur valere, sed potest annullari, Cap. *Ea noscitur*, De his, quæ fiunt à Præl. *Senis. Paris.* Et si fiat in utilitatem Ecclesiæ, sufficit consensus majoris partis, si in utilitatem hominis, requiritur consensus omnium, *Gemin. Az. Paris. Pirb.* Vide *Leur.* q. 293.: Si autem electiva resignentur pure
coram

976

coram confirmante, adhuc requiri consensum eligentium docent *Paris. & Leur.* q. 387. n. 4.

277 §. III. Beneficia patronata resignari possunt pure, etiam sine consensu Patroni, apud Ordinarium, (sed ab Ordinario conferri non possunt sine presentatione Patroni) *Leur.* q. 294., quamvis q. 387. n. 3. videatur dicere oppositum. Idem dicit *Garc.*, si beneficium spectet ad collationem inferioris: ut tamen apud Papam resignentur in favorem, requiritur consensus Patroni, *Inn. Abb. Roch. Leur.* p. 2. q. 109.; quod etiam de Patrono Ecclesiastico valere dicunt *Lambert. Paris. Pirb.* (& admittunt *Ventrig. Tond. Chok. Pirb.* de permutatione coram Ordinario,) negant tamen *Garc.* & alii communiter de resignatione coram Papa, licet hic requirat consensus Patroni laici; & quando Patroni sunt plures, dicendum est idem, quod n. 976. dictum est de consensu Electorum, *Senis, Chok.*; satis est autem postea poni consensum Patroni laici, nec ideo videtur ab initio irrita esse resignatio aut provisio alterius, *Roch. Covar. Senis, Garc. Tond. Ricc. Chok. Pirb.* contra alios: Est tamen irritanda Patrono contradicente intra tempus ad presentandum dato, *Ricc. Paris. Garc. Tond. Pirb.* Provisio vero beneficii scienter resignati contempto Patrono est ipso jure nulla, *Garc. Tond. Lott. Luca*; vacatque beneficium, & potest alius à Patrono presentari post rem judicatam super nullitate inducente vacationem, etiam si resignatio sit facta in favorem coram Papa, *Sarn. Garc. Luca*. Si tamen facta est, quia probabiliter ignorabatur patronatus, resignans potest etiam invito Patrono redire ad beneficium, quia nec contempsit nec ingratus fuit; putat tamen *Lott.* praequiri sententiam Superioris, quâ declarat resignationem fuisse nullam. Vide *Leur.* p. 3. q. 294.

§. IV. Reservata Papæ resignari possunt apud 978
 Papam & Ordinarium, sed apud Ordinarium, non
 in favorem; nec potest de illis providere nisi Papa,
Az. Paris. Castrop. Pirh.. Et de tali beneficio pro-
 visus per Ordinarium est intrusus, nec acquirere
 potest titulum vel possessionem, *Felin. Mandos.*
Mant. Garc. Lott. Leur. q. 295. Exempta à potestate
 Ordinariorum apud Papam resignari possunt, *Pa-*
ris. Az. Chok. Pirh. Leur. q. 297. & 331. Illa, quo-
 rum conferendorum Indultum habet aliquis, eti-
 am apud hunc resignari possunt, nisi aliud colliga-
 tur ex verbis; Vide *Leur.* q. 301. Illa, super quibus
 concessa est expectativa, resignari non possunt in
 favorem, nisi coram Papa de hoc admonito, *Cle-*
ment. I. de renunc. Gamb. Paris. Et si fiat coram
 Ordinario, vacat, ac subintrat expectans, *Rota,*
Put. Paris. Leur. q. 296.

§. V. Beneficia unita, si unio necdum venerit 979
 ad effectum, resignari non possunt, *Trid. Sess. 21.*
c. 5. de ref., Et si quis resignet coram Papa sciens u-
 nionem, & non faciens de ea mentionem, benefi-
 cium vacat, & unio habet effectum, *Paris. Garc.*
Pirh.; si autem unio sit sortita effectum, multò mi-
 nus resignari possunt, quia unus titulus plerumque
 est extinctus & in alterum transfusus, secundum di-
 cta n. 280. Beneficia tamen carentia redditibus resi-
 gnari possunt, *Rota, Paris.* Vide *Leur.* q. 298.

§. VI. Beneficia data in Commendam tempo- 980
 ralem resignari non possunt à deserviente, quia nul-
 lum in eo jus habet, sed tantum administrationem,
 quæ solum potest purè dimitti: data in Commen-
 dam perpetuam resignari possunt, quia habetur jus
 & titulus, qui abdicari potest, etiam in favorem:
 similiter qui tantum habet jus ad rem & non in re
 resignare non potest, *Paris. Tond.*; si tamen præ-
 tendat

tendat se habere jus in beneficio, potest hoc jus præ-
tensum renuntiare, *Paris.*, & habens jus ad rem,
v. g. per electionem, potest hoc jus pure dimitte-
re. Vide *Leur.* q. 303. potest quòque beneficium
etiam in favorem resignari ante expeditas bullas;
ante publicationem resignationis, per quam acqui-
sivit; ante captam possessionem, *Paris.* *Leur.* q. 304.

981 §. VII. Si alicui concessus sit regressus ad bene-
ficium, dum vacabit per cessum vel decessum, resi-
gnari non potest, sed si possidens cedat vel decedat,
subintrat regressus, *Barb.* & alii. Vide *Leur.* q. 300,
qui q. 302. plura habet circa hospitalia, præcepto-
rias & beneficia Melitensium.

982 §. VIII. Beneficium litigiosum potest simplici-
ter dimitti coram Ordinario vel etiam Notario;
quamvis non actuario, modò fiat mentio de litis
pendentia: nec regula de subrogandis habet locum,
nisi colligans habeat à Papa confirmationem sui ju-
ris; unde si alter tum ingrediatur possessionem va-
cuam, non attentat, quia desit litigiositas, hinc
etiam hic resignare poterit. Si autem lite adhuc
pendente fiat resignatio coram Ordinario, valet,
sed Ordinarius conferre non potest, nec alium col-
litigantem surrogare, quia beneficia litigiosa sunt
reservata Papæ per Cap. 1. & 2. *Vt lite pendente*,
in 6. Si resignatio fiat coram Papa absque narra-
tione litis, invalida est; quod verum esse dicit *Pa-
ris.*, etiamsi Papa motu proprio conferret, non fa-
ctâ mentione litis. Vide *Leur.* q. 308., & dicta n.
526. Si tamen resignatio sit facta ante litem ince-
ptam circa titulum beneficii, possunt resignata-
rio expediri litteræ, & etiam capi possessio penden-
te lite, *Abb. Imol. Az. Paris.* Vide *Leur.* n. 6.

983 Q. 143. *An resignari possit beneficium vel ti-
tulus, super quo quis est ad majorem Ordinem pro-
motus. R.*